

1978

M

433
(77)

DE
MORIBVS HORATI
PROLVSI O



QVA

GYMNASII HALLENSIS
NATALEM CCIX

A. D. XXIX AVGVST. MDCCCLXXIV

CELEBRANDVM

INDICIT

M. CHRISTIANVS DAVID IANI

CONNECTOR.



HALLAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS FRIDERICI WILHELMI HVNDTII.

GYMNASIUM
Halle
Univ.-Bibliothek



DE

MORRIS HORATI

FOR V. S. I. O.



Kapsel 78 M 433 [11]

AK

L. 57,





Si, quibuscum vivimus, qui sunt nobiscum vel necessitate vel consuetudine ac familiaritate coniuncti, horum animum moresque cognoscere, gratum est: profecto his, qui antiquiorum temporum scriptores legunt, quibus cum tot magnis oratoribus atque poetis, domesticus quasi usus quidam atque amicitia intercedit, his igitur nihil debet exoptatus esse aut iucundius, quam si quis iis illorum, quos admirantur, quos amant, virorum ingenii morumque speciem et quasi imaginem, ponat ab oculos; ut coram videre atque cognoscere, non solum loquentes audire, hos otii ac solitudinis suae comites videantur.

Neque igitur quidquam vtilius esse arbitror, quam eiusmodi ingeniorum expressa simulacra et quasi picturas, humanitatis studiosis exponere, antequam in illorum antiquitatis clarissimorum virorum consuetudinem sese immergant. Neque sero est, etiamsi iam contraxerint amicitiam. Quare ego nunc periculum talis picturae facturus, propono oculis meis, et contemplor animo



HORATIVM, quem cum in primis amasse me, ex quo legere coepi posse, profiteor, tum assidua lectione diuturnaue consuetudine ita cognitum habeo, ut, licet vix mihi persuadeam, me ad illius imaginem, novum aliquem colorem, novum lineamentum allatum esse, tamen ea, quae sum expositurus, ex veritate expressa, et quasi ex ipso FLACCI, tamquam noti hominis, vultu et sermone ducta atque accepta videri debeant. Neque vero (ne quis erret) perfectam nunc illius imaginem describere fuit in animo, (rem vero difficilem et vix a me expectandam!) sed suppeditare pictori me sollertiori, quae ad illam effingendam vtilia esse posse crederem.

In animo erat, totam Horatii quasi formam persequi, atque ordiri a MORIBVS, tum de INGENIO dicere; quod ignotum esse nemini putabamus, quantum valerent mores atque animus ad regendum conformandumque ingenium, et quam facile igitur, cognitius illis, de hoc esset iudicium. Sed veriti, ne modum libellus excederet, nunc de MORIBVS tantum HORATII exponere constituimus, INGENII descriptionem in tempus aliud dilaturi.

Ac primum quidem illud, credo, omnium facillime a quovis Horatii lectore cognoscitur, fuisse eum festiuum hominem atque affabilem, plane ad hilaritatem suavitatemque natura compositum, indulgentem animo, in diem sine curis viventem; qui tum demum sibi videretur viuere, cum sub alta vel platano vel pinu iacens sic temere, Assyria nardo potaret vnctus *); cum nec promptae modus amphorae, nec morem in Salium esset requies pedum, nec deessent epulis rosae **). Omnes ille aucupatus videtur occasiones causasque capiendae laetitiae, hilariterque cum amicis viuendi. Cum ver esset, suum illi adduxisse videbantur tempora ***). Eidem hiems ac frigoris vis maximo erat momento, ad cohortandos amicos, ut raperent occasionem de die, et cados mouerent †). Quae apud philosophos grauissima esse solent ad virtutis studium acuendum praecepta, his ille utebatur ad iucundam amicis hilaremque vitam suadendam. Quid grauius, quid sanctius est, breuitatis vitae humanae, atque ipsius mortis contemplatione! Nosser eandem hanc

con-

*) Carm. II. 11, 13.

***) Carm. IV. 12, 13.

**) Carm. I. 36, 11.

†) Epod. XIII. 4.



contemplationem eo deriuat, vt amicos ad perfequendam, dum liceat, omnem vitae delectationem iucunditatemque impellat. Sic, cum miserabiliter desisset vitae breuitatem, Postumum suum, vt sibi, non haeredi viuat, hortatur *); multisque aliis carminibus amicos vitae delicias carpere iubet, quod eius spatium breue incertumque sit **). Omnino hominem videmus fuisse negligentem, securum, supinum, qui tristitiam et metus traderet proteruis in mare Creticum portare ventis ***); qui, quae ad se non pertinerent, parum curaret, quid Tiridatem terreret, vnice securus †); cui nihil interesset, quantum distaret ab Inacho Codrus pro patria non timidus mori; et quae essent bella sacro gesta sub Ilio ††); cui grauior multo videretur illa quaestio, quo pretio Chium mercari posset cadum? quis domum esset computationi conuiuioque praebiturus? vbi lateret obliuiosi Massici cadus, spes donare nouas largus amaraque curarum eluere efficac. Videmus fuisse hominem quietis, tranquillitatis ac desidijs otii studiosissimum, amantissimum libertatis viuendi, suo solius more atque arbitrio commodam vitam agere neque a quoquam pendere cupientem. Haec ipsa ratio fuit, cur numquam posset ad munus capeffendum permoueri, atque adeo, quin ab epistolis esset Augusto, recusaret. Haec eadem fuit, cur fugeret peiusque malis omnibus odisset, quaecumque turbare posse hanc dulcem, cui se dederat, ignauiam desidiamae viderentur; curas, sollicitudines, tristitiam, magnos ac molestos labores; quae mala neque ipse diu perpeti, neque in alijs ferre potuit. Sed, vt molle est, atque in tenerum quemdam miderorem se immergit interdum id hominum genus; inueniuntur etiam in illius carminibus, quae dulci quadam tristitia, gemituque et lamentatione personent. *Ab! te meae si partem animae rapit maturior vis, quid moror altera?* †††) *Quam mollis dolor in his! Qui singultus! Qui flebilis languor!*

Amicitiam sanctissime coluit, fidelen se integrumque amicis praestitit, gratissimum illis, qui beneficijs ornassent, aut bene essent de ipso meriti. Familiarissime autem vsus est *Virgilio*,

A 3

Afinio

*) Carm. II. 14.

**) vt Carm. I. 9 et II. IV. 7. cer.

***) Carm. I. 26.

†) ibid.

††) C. III. 19.

†††) C. II. 17.





Afuo Pollione, Albio Tibullo, Ouidio, Vario, Plotio *). Apud ipsum Augustum, cui a Maecenate commendatus erat, plurimum gratia valebat. Ille enim eius ingenio, salibus, iocandi venustate, atque vrbanitate ita delectabatur, vt amicissime ac familiarissime cum eo viueret, et maxima in eum conferret beneficia. *Suetonius* memoriae prodidit, cum adduci a Maecenate ad se, voluisse Augustum, vt quotidianus sibi conuictor esset, seque in epistolis scribendis adiuuaret; recusanti non succensuisse, neque, inprimis amare eum carissimumque habere, liberalitate augere, iocari cum eo et cauillari familiarissime, vquam destitisse.

Omniū autem potentissimum amantissimumque sui amicum habuit *Caium Cilnium Maecenatem*. Quid enim? qui tam esset par ac similis Horatii; vir grandi atque illustri ingenio, doctis hominibus singularem benevolentiam ac gratiam tribuens; vir, vbi res (vt *Velleii* pictura vtar **)) *vigilantiam exigeret, sane exsomnia, providens atque agendi sciens*, eademque de causa Augusto carissimus; idem, *simul aliquid ex negotio remitti posset*, vinosus, mulierosus, *otio ac mollitii paene ultra feminam fluens*; vir, vt *Seneca* tradit ***) , cuius incessus, cultus, comitatus, omnia delicata; qui cuperet videri, qui vitia sua latere noller; cuius oratio aeque diffuens et soluta esset, atque ipse discinctus †); qui ciuilibus adeo bellis cum maxime strepentibus, sollicita vrbe et armata, a molli atque ignaua vita non discederet. Hunc Maecenatem tam grato animo coluit, tam mirifice amauit, vt carmine pulcherrimo ††), cuius supra particulam posuimus, sacramentum diceret, se nolle illi viuere superstitem. Et, quod omnino videretur mirandum, non neglexit fidem noster, sed paucis mensibus post, quam ille obiisset, mortuus est, fortasse desiderio amici exanimatus.

Epit natura timidus atque imbellis, vt, cum esset in *Bruti* exercitu tribunus militum, in Philippenfi proelio parmam etiam, summo cum dedecore romani militis, abiiceret; neque ipsum puer eam ignominiam profiteri †††); adductus sine dubio Archilochi atque

*) *Hor. C. I. 3. IV. 12. Serm. I. 5, 40. 6, 55. C. II. 1. Epist. I. 4. C. I. 33. Ouid. Tr. IV. 10.* **) *L. II. c. 88.* ***) *Epist. CXIV.*

†) *Cf. Macrobi. Saturn. II. 4.* ††) *C. II. 17, 5.* †††) *C. II. 7, 9.*

atque Alcaei exemplo, qui parem de se timiditatem ignauiamque referre non dubitant. Omnino poëtae raro fortes admodum ac bellicosi sunt; dicerem numquam, nisi fuisset Kleistius, nisi esset etiam nunc summus aetatis nostrae (immo omnium!) rex, summus idem poëta.

Sed diligentius intuens ego speciem quasi vitae ac morum Horatii, nescio an excellentissima illius ac pulcherrima pars sit, illa animi suis rebus, immo paruo, contenti tranquillitas; quae maximae sunt certissimaeque diuitiae. Nihili faciebat diuitiarum splendorem, magnificentiam aedium, potentiam, opes, omnemque illam felicitatem, ad quam diuites aetatis suae homines tam cupide videret adspirare *). Satis se beatum, cum putabat tum praedicabat, fide, ingenio, et villula, quam in Sabinis habebat; solam tranquillitatem vitaeque commoditatem, solum laetum in praefens animum, solam mediocritatem ab importuna fordidaque paupertate tutam, sectabatur. Nihil cupientium, *nihil admirantium* **) castra petebat, contentae rei sic dominum se splendidiorum credens, quam auaros, quam diuites et potentes, qui, magnas inter opes inopes essent ***). Neque suspecta nobis esse debet haec animi continentia, neque eam, ut sit, praetendisse forte Horatius paupertati suae credendus est, ut vlcisceretur iniuriam, sibi a fortuna illatam in distribuendis opibus; habebat enim amicum potentem, qui, si plura vellet, dare posset; sed qui et ipse equestri dignitate contentus viueret, cum latum clauum posset fumere, et pulchre nosset amicum suum. Profecto egregiae prorsus et vere philosophicae (ut in pagano homine) sunt illae ad Apollinem preces †), cum ad beate viuendum non diuitias, non opes, non armenta; sed paratus fruendi facultatem, sed valetudinem commodam, sed mentem sanam, sed honestam placidamque senectutem, ingenique poëtae semper benignam venam expetit.

Vitam rusticam incredibiliter amauit, eiusque laudes non vno loco elegantissime descripsit ††). Nec mirabatur ipse beatae fumum

*) Lege C. II. 16 et 18. III. 1 et 16. Serm. I. 1 et 6. II. 2 et 6. Epist. I. 7.

) Epist. I. 6. *). Carm. III. 16, 28. †) C. I. 31.


††) Epod. II. Serm. II. 6. Epist. I. 10 et 14.

fumum et opes strepitumque Romae, neque amicos volebat mirari *). Habebat in Sabinis ex liberalitate Augusti villam amoenissimam, ocellum Italiae, in valle montis Lucretilis positam. In eam recipiebat se, cum liceret, ex urbanarum rerum perturbatio-
ne, atque ad Bandusiae fontem, quem ipse celebrauit carmine **), nunc libris veterum, nunc somno et inerribus horis, ducebat sollicitae vitae iucunda obliuia ***).

De philosophia Horatii vt quaedam adiciamus (ad mores enim pertinere philosophiam oportet, vt vera sit); fatendum est, fuisse eum in illa maxime inconstantem ac mobilem, fuisse leuissimum transfugam, neque huic neque illi pari fidelem. Atque illud in homine, qui omnem molestiam, omnem cogitationum animique nimiam intentionem fugeret, vix potuit aliter accidere. Quare interdum festantem videmus Stoicos; multa ab illis praecepta, pulchra etiam, veluti de aequitate animi ****), de rerum externarum contentu †), sumit; poenitet eum, quod huc vsque Deos non sancte fatis coluerit ††); Epicureos deridet atque contemnit †††). Sed subito eorundem horum Epicureorum amplectitur disciplinam ††††), seque ipsum dicit Epicuri de grege porcum *). Denique nullarum est partium, sed philosophiam quamdam popularem atque communem sequitur, seque nullius iurare in verba magistri, ostendit ††).

Sed haec quomodocumque se habeant, illud facile intelligent diligentes eius lectores, abundare illius Carmina ac Sermones, excellentissimis morumque praeceptis; vt eo in genere plane eximius sit, atque hoc ornatu vnus omnium suae aetatis poetarum maxime floreat Flaccus. Ipse etiam summam in virtute, non in diuitiis, positam esse adfirmat felicitatem; ipse integrum vitae scelerisque purum †††) sese praedicat; ipse Diis pietatem suam ac Musam cordi esse ††*) dicit. Verum haec ex illius aetatis moribus
iudi-

*) Carm. III. 29, 11. **) Carm. I. 13. Bandusia (sic recte restituit nomen Cuningamius) regio in Sabinis, in qua ager erat Horatii.
) Serm. II. 6, 60. *) C. II. 3. Epist. I. 16. †) Epist. I. 6.
††) C. I. 34. †††) Serm. II. 4. ††††) C. I. 4. 7. 9. 11. II. 11 cet.
††*) Epist. I. 4, 16. ††*) Epist. I. 1, 14. ††*) C. I. 22. *†*) C. I. 17, 13.



iudicanda sunt. Horatius non erat avarus, non rapiebat bona aliena, non expellebat patrimonio paternos in sinu ferentem Deos, et uxorem et virum, sordidosque natos *); officiosus erat, fidelis, sincerus in amicos; neminem inhumaniter atque iniuste laedebat; utramque fortunam aequo ferebat animo **); humanus erat erga omnes, liberalis, affabilis, candidus; propensus ad iram, sed idem facile placabilis ***). Ita si quis illis temporibus viueret, vir bonus erat, integer, purus, honestus. Contra ista quae nunc denique attingenda a nobis est, (diu enim reformidauimus attingere) illa igitur pars Horatianae imaginis, nemini ea aetate fuit turpitudini. Dissoluta enim aetatis suae licentia, effrenataque viuendi ratione abreptus noster, amor, illique, qua nulla pestis capitalior est, corporis voluptati totum se tradidit. Ex his impuris fontibus profluxerunt ista, quae dolendum est tam splendidis humani ingenii monumentis admixta esse, lasciuiora quaedam carmina, quae pudorem offendunt, obfuntque illi, qua nihil nobis sanctius esse debet, quae ne quid vniquam detrimenti capiat, semper videndum est, morum innocentiae et castitati. Neque tamen non illud quoque monendum est, duobus aut tribus exceptis, cetera Horatii ex hoc genere carmina, cum Catulli atque Ouidii plurimis comparata, satis verecunda atque urbana esse: deinde, facile posse magistrum prudentem periculo, quod procreat genus illud lubricum, adolescenti saepe praecipere (v. c. si non ex ordine legantur carmina); neque igitur hanc sufficere rationem ad exterminandum e scholis poetam, quem e manibus deponere numquam oportet humanitatis studiosum — Ipsum Flaccum, ut ad hunc redeamus, inde ab anno quinquagesimo ad se rediisse ex immoderata illa intemperantia, reliquumque vitae tempus in solitudine rustica atque in otio philosophico consumsisse, memoriae traditum est.

Corpus habebat exiguum †), molle, sed bene curatum et pingue ††); idem frigoris maxime impatiens; quare hiemem Tarenti, in mitissima Italiae regione, agere consuevit.

His

*) Carm. II. 13, 28. **) Excellentissimum locum lege C. III. 29. 41 sqq.
 ***) Epist. I. 20, 25. †) Epist. I. 20, 24. ††) Epist. I. 4, 15.



His cognitis, illud facile intelligitur, **INGENIO HORATII** vix potuisse alium esse colorem, atque animo. Videmus, animus si grauis sit, temperans, compositus, ingenium quoque esse sobrium; illo corrupto, hoc etiam adflari. Si enim ipsum corpus, ipse incessus, animi vel languorem, vel alacritatem, vel mollitiem, vel perturbationem denique prodit; quanto magis hoc ingenio accidet, vt pareat animo, vt a moribus regatur fingaturque. Praeterea cum talis homini oratio sit, qualis vita; tum ipsa quoque aetatis disciplina, ipsi publici mores fingunt dicendi genus. Haec omnia docent, ea, quae de moribus Horatii atque omnino illius aetatis, a nobis disputata sint, plurimum valere ad poëtae Venusini ingenium cognoscendum. Illud enim iam dudum intellexisse oportet lectores, cum de moribus Horatii exponeremus, fuisse illum ex numero eorum, qui sunt alacres, adfatu facili, hilares atque ad voluptatem propensi, qui faciles perspicuasque habent imaginum conceptiones, qui ingenio valent et memoria, qui animo mutabiles sunt ac praecipites; denique, quos *sanguineos* vocare hodie solent. Viuebat idem in aula Augusti, hoc est, omnium cum luxuriosissima, tum elegantissima. Viuebat aetate, qua effrenatae morum licentiae, qua voluptati et luxuriae dediti erant posteri Curiorum et Fabriciorum. Ex his omnibus quin Horatii ingenium atque oratio coloris aliquid duxerint, dubitari plane non potest.

Sed hoc ipsum, atque vniuersam *de ingenio Horatii* disputationem in aliam, si qua dabitur, occasionem referuamus; atque ad iucundissimum illud, cuius causa conscriptus est hic libellus, officium accedimus. Natalem Gymnasii nostri CCIX more maiorem cras ab hora II pomeridiana, habendis in auditorio maiori, eo ordine, quem tabula subiecta sermone vernaculo exhibet, orationibus celebrabunt egregii aliquot illius ciues. Quibus audientiam hac prolatione facturi, Amplissimos Gymnasii **PATRONOS**, ceterosque cum scholae nostrae, tum bonarum litterarum **FACTORES**, vt honorifica sua praesentia ornent haec pietatis sollempnia, beneuolique adsint auditores, humanissime rogamus.

P. P. a. d. xxviii August. cId Id cclxxiv.



Med.



Redubung
am 209ten Stiftungstage
des evangelischlutherischen Gymnasiums,
den 29sten Aug. 1774.

Johann Gottlieb **Lettenborn**, aus Nordhausen, be-
trachtet die **Hindernisse** und den **wahren Charak-**
ter der Weisheit, in einem deutschen Gedichte.

Heinrich Gottlob **Schellenberg**, aus Sachsen, han-
delt von der **Verachtung der Reichthümer** und
deren Quellen, deutsch.

Johann Wilhelm **Daniel**, aus Halle, (Don
Karlos)

Christian Ernst **Reiß**, aus Halle, (**Pedro**)

Christian Heinrich Ludewig **Herrmann**, aus
Halle, (**Barwick**)

Friedrich Peter **Heisler**, aus Halle, (**Benson**)

Karl Gottlieb **Fischer**, aus Halle, (**Klifford**) und

Johann Anton **Lewisson**, aus London, (**Lu-**
cius) stellen in einem Gespräche das **Lä-**
cherliche und **Schädliche** des **Arg-**
wohnns vor.

Johann Gottfried **Thormann**, aus dem Magdeburgi-
schen, liefert **Betrachtungen** und **Empfindun-**
gen bey dem vollen Monde, deutsch.

Ludewig



Ludewig Heinrich **Winter**, aus Stolberg, schildert
ernsthafte und feierliche Ausichten in die künf-
tige Bestimmung des Menschen, in deutschen
Versen.

Christian Christoph **Silkrodt**, aus Nordhausen, han-
delt von der Ehrbegierde, deutsch.

Serjet Philipp **Bödeker**, aus Emden in Ost-
friesland, (v. Silberstrom)

Johann Christoph **Dörner**, a. Halle, (Christoph)

Dieterich **Zyden**, aus Emden, (Lukull)

Joh. Friedr. **Lange**, aus Halle, (Melanartius)

Johann Georg **Gothilf Bismann**, aus Halle,
(Argant) und

Gottlieb Friedrich **Härtel**, aus Sachsen, (Ni-
chard) suchen in einer Unterredung das,
was der Deutsche viel Geschrey und
wenig Wollennennet, auszudrücken.

Johann Karl August **Bartels**, aus Halle, erhebt die
vier Jahreszeiten, in ungebundener Poesie.

Johann August **Schäfer**, aus Halle, beschreibt den
Untergang Sodomis, deutsch.

Karl Gottlob **Neuscher**, aus Halle, (Alcest)

Karl Heim. Gottlieb **Kühling**, aus Halle, (Cäcil)

Jak. Ludw. Ernst **Laur**, aus Halle, (Dorant)

Johann Traugott **Leberecht Fuhrmann**, aus
Bernburg, (Nemil)

Joh. Jos. Wilh. **Lemery**, aus Halle, (Kamill)

Joh. Gottlieb **Schneeweiß**, aus Halle, (Ba-
ler) unterreden sich über die Mittel,
berühmt zu werden.

Johann Christoph **Wagner**, aus Halle, sucht in einem
deutschen Gedichte die süße Schwermuth eines
Unglücklichen auszudrücken, und stattet hierauf der
Versammlung für geneigtes Gehör den schulbigen Dank ab.


W W W

VD 18

3

ULB Halle
002 188 074





1978

M

433
(11)

DE

VS HORATI

OLVSIO

QVA

ASII HALLENSIS

TALEM CCIX

N. 629

AVGVST. CI^o IO. CCLXXIV

CELEBRANDVM

GYMN. HALLE
EX LIBRIS
Univ. Halle

INDICIT

IANVS DAVID IANI

CONNECTOR.

AE MAGDEBVRGICAE

RIDERICI WILHELMI HVNDTII.